recipe festinanter, e cibari ei qui nominibus praeest, et pro hoc redeat ad salutem, cum obedire
coeperit monitis praesentis. Si quis vero amicus fuerit his quibus ipse amicus non est, et locutus
fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis qui exterminare dei aecclesiam
volunt. Et cum corpore vobiscum esse videatur, mente et animo contra vos est.
Et est multo nequior hostis quam illi qui foris sunt et evidentes inimici. Hic enim per amicitiae
speciem quae inimicis gerit, et aecclesiam dispergit ac vastat. Et cum haec dixisset, in me-
dio coram omnibus manum mihi inposuit, et in cathedra sua ingenti verecundia fractum
sedere me conpulit. Cumque sedissem, haec ad me rursus locutus est: Deprecor te, Clemens,
coram omnibus qui praesentes estis, ut postea quam sicut naturae debitum est vitae praesentis finem fecero,
Iacobo fratri describas breviter vel quae ad initium fidei tuae spectant, vel etiam quos ante
fidem animos gesseris, sed et qualiter mihi ab initio usque ad finem comes itineris et actuum
fueris, quaeque per singulas civitates me disputante sollicitus auditor exceperis, quae
in praedicationibus meis fuit verborum officium vel actus, sed et si quis me finis in hac
urbe repperit. Sicut dixi, omnia quam potes breviter conprehensa ad ipsum destinare
non pigeat, nec verearis ne forte multum de meo exitu contristandus sit, cum me pro
pietate haec sustinere non ambigat. Erit autem ei grande solatium si didicerit post me
non imperitus vir aliquis aut indoctus atque ignorans divini verbi ministerium et aecclesiastici
ordinis disciplinam vel doctrinae regulam nesciens suscepit cathedram meam. Scit enim
quia si indoctus vel insciens doctoris accipiat, sine dubio discipuli et auditores ignoran-
tiae tenebris obvoluti in interitum demergentur. Unde et ego, domine mi Iacobe, cum haec
ab eo praecepta suscepissem, necesse habui implere quod iusserat, indicans tibi et de his
ipsis simul et de illis breviter conprehendens quae per singulas quasque urbes ingrediens
aut in praedicatione sermonum protulerit aut in gestorum virtute perfecerit. Quamvis tibi
de his plura iam plenius ante descripta ipso iubente transmiserim sub eo titulo
quem ipse praecepit adfigi, id est Clementis itineris in praedicatione Petri. Sed et nunc expone-
re iam quae praecepit incipiam. capita